Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

baptismate ipsi pariter consecrauit. Deinde sanctus benignus
ad castrum diuionense pergit. ubi plures laboris sui fructus
congregans. non post multum tempus pro multis meritis con
dignam martyrii coronam promeruit. Sancti uero gemini fratres confir
mati in omni credulitate Christi. seruis suis preceperunt. ut si
mulachrum nemesis confringerent. ac duodecim templa que
in domo eorum constituta erant. funditus euerterent. ipsas eci
am statuas ydolorum simul in confractione redactas penitus
dissiparent. Feceruntque serui omnia que iussi fuerant im
perata. Interea fama citata cunctos terminos lingonice
ciuitatis peragrauit. nuncians tres geminos fratres nepotes le
onille illustribus ortos natalibus ad cultum Christi deuotionis stu
dio manifestissime declinasse. et ihesu Christi omnipotentis fidu
cia. deorum simulachra pro nichilo habentes et in omni abusio
ne despicientes. a fundamentis cum ipsis ydolis eruti iussissent.
Crescit rumor in mensus in populo. excitantur in iracundiam pri
mates. iudices et sacerdotes ydolorum nimio furore succen
si ad dei pueros undique conueniunt. congregatique in u
num. dixerunt priores ad eos. Que uos tam repentina in
uasit temeritas. Quis uos persuasit deorum uestrorum culturam
relinquere. quam nostri uestrique ueteres ab antiquis temporibus
coluisse noscuntur. decreta principum conuellentes. Christum quem
pro deo adoratis. iudei ipsum in mortis condempnatione cru
ci affixerunt. Tunc sancti gemini repleti spiritu sancto. dixerunt
ad eos. Obcecati corde in profunda dimersi caligine. perpetu
is tenebris obumbrati. nimium pondere peccatorum pressi. penarum
indeficientium in morte perpetua condempnati. antiqui hostis
errore decepti. quod nos saxa et cetera metalla in hominum
effigies ab hominibus figurata [adorare] compellitis. que nullum uite spira
culum habere uidentur. que nichil sunt. nichil senciunt. pro nichi
lo ab stultis omnino coluntur. Dominus noster ihesus Christus ipse est deus
uiuus et uerus. pater. et filius. et spiritus sanctus. unus in trinitate
trinus in unitate maiestatis credendus. deus de deo. lumen
de lumine. splendor ab splendore procedens. qui semper est.
semperque fuit. semper ipse sine fine manebit. ipse fecit om
nia que in hoc mundo sunt. Permotus est populus. primates. iudi
ces. et sacerdotes qui ad spectaculum uenerant. in nimia con
tra sanctos dei famulos iracundia exarserunt. Exurgens autem
quadratus ira repletus. speosippum et eleosippum pugno percus
sit in facies. nam ipsi duo tantum locuti fuerant. Condolens
uero meleosippus. exclamauit dicens. Cur me de isto
percussionis dono cum fratribus meis non fecisti participem. In
illis ostendisti optabile principium passionis. me autem quasi
paruus incredulus honorans. a sancto consortio separasti. Vna
nimes in confessione Christi sumus. equaliter per uestram perfidiam
de Christi remuneratione congratulamur. Quadratus respondit.
Hodie uos pro contemptu deorum nostrorum. diuersis cruciatibus puni
re disponimus. Eleosippus dixit. Quanto nobis maiora tor
menta prebueritis. tanto amplius nos de dei gratia confortatis.
Palmacius dixit. Nisi linguas eorum radicitus amputemus. non
cessabunt loqui iniuriam nostram. et deorum nostrorum. Speosippus
dixit. Si linguas nostras carnales crudelitas uestra absciderit.
in interioribus nostris magnalia dei narrabimus. et de sancta cre
dulitate Christi numquam nos malicia uestra separabit. Iterum pal
macius et hermogenes dixerunt. Infelices. unanimiter ad
mortis uestre interitum festinatis. Speosippus respondit. Mo
ri pro Christo gloriosum est. inde enim celeriter ad uitam peruenimus eternam.
ubi nulla est tristicia. sed gaudia que nullo tempore finiuntur.
Videns eos palmacius. quadratus et hermogenes. in Christi confes
sionis constancia perdurare. cogitabant attencius quibus grauis
simis tormentis affligerentur. quo genere mortis propter
meritum eorum qui aduenerant crudelissime dampnarentur. Dum
hec diligencius pertractarent. beatam leonillam seorsum ad se ac
cersiri preceperunt. ut forsitan per blandimenta sermonum.
et sue suasionibus parentis reuocari potuissent ad simu
lachrorum culturam. et ut Christi maiestatis deitatem penitus omnia de
negarent. Cumque beata leonilla ad eosdem peruenisset. dixerunt
ei iudices. Perge ad nepotes tuos. et si eos saluare desideras.
et a penarum suppliciis. uel mortis interitu liberare. suade
eis ut templa restituant que destruxerunt. deos autem nostros adoran
tes. consuetudinaria offerant sacrificia. Hec et alia dicen
tibus. ait ad eos leonilla. Ibo. et suadebo eis omnia que ad eorum
congruunt salutem. Veniens denique beata leonilla ad nepo
tes suos. cum cognouit eos in sancta perseuerare confessione.
multa exaltat exultacione gauisa. et prebens eis dulce oscu
lum. lacrimans pre gaudio. et multas deo omnipotenti preces effun
dens. ac gratias agens Christo. dixit nepotibus suis. Nullus de ge
nere uestro nobilior. nullus magis diues. nullus melior. nullus
a uobis plus deo acceptabilis inuenitur. Omnem progeniem uestram
preclara confessione Christi perpetualiter illustrastis. in tenera
etate positi. cunctos seniores originis uestre sapientia precess
istis. thesaurum inmensum plus omni precio copiosum pro Christi mi
licia acquisistis. State ergo in sancta Christi religione uiriliter perse
uerantes. nulla uos frangat aduersitas. nulle mine. nul
la tormentorum supplicia uestros terreant animos. fortiter in
Christi fide armatos. Regna mundi huius que uidentur et cum
uita temporaliter finiuntur. nichil sunt. regnum autem dei inuisibi
le. sempiternum concupiscite. perpetua est atque perfecta et super
omnia oportuna sapientie plenitudo. Per hos temporales
labores et subito transitorias penas. ad eterna gaudia per
uenietis. Videns itaque eos plenos gratia Christi in sua stabilita
te manere. et promissam fidem fortiter custodire. deo cum in
tegra deuotione nepotes commendans. discessit ab eis. In
terrogati autem a iudicibus si uellent consentire et cum eis de
orum simulachra adorare. studeant publica uoce confite
ri. Sed cum illi pertinaci sentencia diuini amore persisterent et
nullatenus uoluissent assensum prebere petentibus. ligatis de
orsum manibus. pedibus uero sursum in arbore uno suspensi sunt.
Tanta autem tormentorum adinuentione sunt extensi. ut pene pu
tarentur ab ipsa membrorum compagine separari. Confortati
tamen a Christo. et inuictus tolerantia interius diuinitus ministra
ta. in confessione et credulitate Christi uiriliter permanebant.
Et in ipsis tormentis suspensus cum fratribus meleosippus. iudicibus
insultabat dicens. Dominus noster saluator ihesus Christus clauis affixus.
in trinitate colendus. pro nostra redemptione sancto pependit in lig
no. unde crucis signaculum promeruimus. Nos quoque tres sui fa
muli in hoc [uno] pendentes stipite. pro eius nomine efficiemur martyres gloriosi.
O beatum fructum ipsius arboris. que tres portauit martyres. trinitatis